DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MORBO ARQVATO,

QVAM

JESU BENEDICENTE,

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

IN ILLUSTRI VARNIACA ACADEMIA

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS ERNESTI SCHAPERI,

MED. DOCTORIS, EJUSQVE PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII DUCALIS, h. t. DECANI MAXIME SPECTABILIS,

DN. PRÆCEPTORIS, PATRONI atq; PROMOTORIS

SUI PARENTIS INSTAR AD URNAM USQVE NUNQVAM SATIS DEVENERANDI

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA ATQVE PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE AC LEGITIME CAPESSENDI

AD DIEM XIIX. DECEMBR. AN. M DC CXIV.

IN AUDITORIO MAJORI.

HORIS ANTE, ET POMERIDIANIS

PUBBLCÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI SUBJICIT

JACOBUS BARTHELMÆI,

PARCH. MECKLENB.

ROSTOCHII, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. T

VIRIS,
MAGNIFICO.GENEROSO.MAXIME.STRENUO
CONSULTISSIMO.
DN. ANDREÆ. BORCKMANNO.
CONSULI. INCLYTÆ. GEDANENSIUM. REIPUBLICÆ.
LONGE. MERITISSIMO. MULTISQVE. IN. PATRIAM.
MODIS. ADHUC. PRÆCLARE. MERENTI
UT. ET.
MAXIME. REVERENDO. AMPLISSIMO.
DN. CONSTANTINO. SCHUTZIO.
ÆDIS.MARIANÆ.PASTORI.VIGILANTISSIMO.GRAVISSIMO.
NEC. NON.
NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS. SPECTATISSIMISQVE,
DN. JOANNI-ALBERTO ROSENBERG,
DN. CYPRIANO. SANFTLEBEN.
DN. CONSTANTINO. SCHUMANN.
DN. SALOMONI. WAHL. JUNIORI.
ILLI. QVARTARUM. MAGISTRO. MERITISSIMO.
HISCE. CENTUMVIRALIS. COLLEGII.ASSESSORIBUS.
DIGNISSIMIS.OMNIBUS.ANTISTIBUS.SACELLI.
B. VIRGINIS. FIDELISSIMIS.
AC.
NOBILISSIMIS. AMPLISSIMISQVE.
DN. VALENTINO. CAROLO. à BODECK.
DN. GEORGIO. FRIEDERICO. SCHRADERO
PATRICIIS. GEDANENSIBUS. PRÆCIPUIS.
DOMINIS. PATRONIS. EUERGETIS. AC. FAUTORIBUS. MAXIMIS.
OMNIq; OBSEQVII. CULTU. PROSEQVENDIS.
Disputationem hanc Inauguralem Medicam in tesseram gratissimi Animi inscribit, seqve & Studia sua Ipsorum Benevolentiæ, submisse consecrat.

Observantissimus cliens.



Qvammeus natus ac veluti Phocæ pelle contectus puer, cujùs Stalpart van der Wiel, cent. poster. obs. 35. p. 374. meminit; ut curiosam, sic deformem satis exhibuit cutem, cum piscis instar sqvammosus & facie ac collo exceptis, prorsus nigricans & obscuro qvodam ac scabro musco, qvo frigus perferre poterat, obductus, apparuerit. Imaginatione matris hæc cutis deformitas inducta, citato loco legitur. Qvam alii formositatis ergò omni studio quærunt, dum cutem nævis vitiare conantur, & amicabilis venustatis connatæ loco spurcam fæditatem ei inducere; Hoc suâ fædâ cute & Cingari, & Afri qvi Hottentotten vocantur satis probant; Maxima enim formositate conspici putant, nigro colore faciem, immò totum corpus cùm obduxerint; Et hinc quò majori spur-

citie obducta cutis est, eò formosior habetur. Albo cutis colore alii delectantur, imprimis qui formositate student, ut sæpius si natura defecerit, vel arte eam adjuvare conentur; Hinc tùm extus tùm intus adhibentur remedia, ut albo colore cutis conspicua sit, donec sæpius inopinato cahecticus color inde eveniat, hinc vel cum tumida facie albent, vel flavedine sæpius obducuntur, ut ex formosâ deformis prodeat cutis. Hæc cutis flava spurcities Icterus vocari solet cum tota corporis superficies, nullâ exceptâ parte flava conspiciatur. Ab illâ corporis flavedine argumentum dissertationi in augurali sumpsi; Morbum hunc arquatum pro tenui ingenii mei penu consideraturus. Quod si ex voto tuo L. B. fuero assecutus, gratulabor mihi, sin minus; pro benevolentiâ tuâ institutum æqui bonique consules, cum ipse noveris, omnibus placere posse, arduum imo impossibile esse.

THES. I.

Quem cutis in flavedinem mutatum colorem alii auriginosum ab auri colore, qvo tota corporis superficies obducta videtur, dicunt, & hinc qvoqve vel auriginosam corporis suffusionem vocant, hunc alius morbum regium vocare assolet, vel ab auro metallorum rege cujus colorem ægri præ se ferant, vel cum C. Celso qvod in aulis regum molliter curetur, secundum versiculum Sereni:

Regius est verò signatus nomine morbus
Molliter hic qvoniam celsa curandus in aula.

Ordinariò autem ac vulgari nomine voce græcâ in latinum mutatâ Icterus vocatur, sive ab ictero ave coloris flavi de qvâ Plinius libr. 30. cap. 11. refert: Avem mori malumqve sanari si spectetur; sivè ἀπὸ τῆς ἰκτίδος à viverra mustelis annumerata, qvæ venatoribus usui est, cujus oculos flavo colore tinctos referunt. C. Cellus celeberrimus sua ætate Medicus icterum vocare assolet morbum arqvatum libr. 3. c. 24., eò qvod arcus cœlestis colorem æmuletur; & hujus autoritate partim, partim libertate philosophica usus, dissertationis rubrum eo nomine inscripsi, cum in verbis faciles simus modo in rebus conveniamus. Dicitur qvoq; cachexia Icteritia cum revera ad morbos cachecticos pertineat. Germanis hic affectus considerandus, die gelbe Sucht dici solet.

Thes. II.

Hæc cutis in flavedinem cachecticam mutatio, vario cum flavi coloris gradu variet, & jam flavum, jam pallidum, jam viridem, jam cœruleum, jam obscurum livorem, jam alium referat, variis insigniri solet nominibus, sic Forest: l. 19. observ. 23. Icterum viridem se observasse refert. Qvalem & Petrus Joh. Faber. in curat. cur. 71. pariter recenset. Alii Icterum coloris plumbei observarunt; alii alterius coloris, qvæ omnes differentes species unum tamen morbum, unam originem constituunt; id qvod in seqventibus, partim explicatio morbi ulterior, partim medendi Methodus probabit; nec autoritate medicorum destituimur, Practici ad unum omnes ferè id affirmant, & inter illos Schenckius sat dilucidè libro 3. observationum de ictero exponit: se icterum qvatuor coloribus successivè repræsentatum in muliere observasse. Fa-

 miliarissi-

miliariſſimus tamen inter has non ratione originis, ſed ratione diverſi coloris differentes icteri ſpecies, eſt icterus flavus, cui ex longiori icteri flavi inſiſtentis mora, præ reliqvis ſuccedit freqventius icterus niger, cum ex flavo obſcurus livor cutim obduxerit.

Theſ. III.

Variis ex flavo coloribus ludens affectus, autores medicos in varias deduxit ſententias: hinc ſunt, qvi icterum â bile per corpus diffuſâ eaq; excrementitiâ volunt, qvos inter ſunt Capivaccius, l.3. de affect. hepat. c. 21. p. 700. Felix Platerus l. 3. prax. & alii; è contrario ſunt, qvi bili non hanc concedunt autoritatem, atq; planè cauſam eſſe denegant, inter illos Helmontius eſt, vid. tract. ejus de ſexduplici digeſtione alimenti humani. p. 175. §. 30. Paracelſus autem aperte, contra bilem diſputat, ac ſalibus tribus tribuit; libr. de Ictericiis, c. 1. Qvæ omnia cum attentius paulò ruminor, liberè profiteor me inter diſſentientes pariter diſſentire, cum phyſicorum ſcrinia ſuperbiant totidem datis, qvibus maximè probabiles formari qveunt, aut formandæ ſunt opiniones. Philoſophandi hinc, ut alii, utar libertate, certâ fiduciâ fretus, me ſat clara, niſi evidentiora, prolaturum. Commixtione Salis Entalici Vitriolati & Sulphuris reſoluti, icterum fieri ut Paracelſus autumat, vix ac ne vix concipio, niſi ſalibus iſtis, qvod conjicio, acida & ſangvinem fluidum coagulantia intelligat, qvibus cum variæ & per totum corpus in partibus ſolidis obſtructiones fiant, icterum produci affirmet. Helmontii de ictero opinio non planè inconveniens videtur, vitioſa enim digeſtio vitioſos humores, vitioſam nutritionem parit, qva factis obſtructionibus, cachexia icteritia induci facilè eſt; Hinc à mœrore is notat icterum, aut ab ira Riverius, qvatenus utrâq; animi paſſione humorum læſio producitur, ut obſtructiones facile fiant. Ad eos qvod attinet, qvi bilem putridam, cauſam icteri eſſe volunt, in circulo impeditam, pace eorum hanc ita vocare non poſſum, cum in ſchirroſo aut ubi calculi hepate, bilis circulus qvam maximè impeditus, non tamen inde ſemper morbus arqvatus eveniat, Eleganti obſervatione hoc illuſtrat Ettmüll prax. part. 2. p. m. 54. ubi nec collecti in folliculo felleo lapides ſat copioſi icterum producere valuerunt. ſchirroſo lieni alii adhuc icterum tribuunt, ſed Lindanus ſe in Friſia multos curaſſe ſchirros lienis refert, in qvibus tamen nullum

lum morbi arqvati vestigium observatum est. Bilem hinc causam icteri dicere nescio, cum ulterius observationibus confirmatus icterum citra impeditum bilis motum ortum fuisse, cum fœces alvinæ æq; ac in statu naturali flavæ, imò ut in diarrhæa prodierint; qvod confirmat qvoq; Riverius obs. cent. 2. Obs. 9. unde bilem non absolutam icteri esse causam concludo.

Thes. IV.

Vera autem morbi huius causa ut mihi firmius constet, aut de eâ certior fiam, signa qvibus hic morbus cognosci solet prius considerabo, cum viam feliciorem inveniendi causam mihi imaginari, vix qveam. Signa a. qvibus diagnosis fit, sunt seqventia: In morbo arqvato dū imminet & adest, Practicorum imprimis Ettmüll. & Dolæi observatione, corporis omniumq; artuum cum gravativo lumborum dolore lassitudo observatur, & præcordiorum anxietates junctam difficilem respirationem habent, qvà suspirioso halitu, ægri vix loqvi qveant. Appetitus si non prostratus ad minimum tamen imminutus; Sitis est clamosa. Sapor in ore varius, qvandoq; amarus qvandoq; non, caput dolet, in somnia adsunt turbulenta, capilli decidunt, non rarò febris adest, qvæ icterum qvandoqve præcedit, alvus adstricta ejusqve fæces albidæ & duræ, jam fluida & diarrchæa biliosa se prodit. Urinæ ex flavo & rubro ferè nigricant, viscidæ & paucæ ac linteamina injecta flavo tingunt colore. Tota qvoqve corporis superficies flavet, nec oculorum albugo à flavedine immunis est, hinc ipsis ægris omnia qvoqve flavo colore tincta videntur. Hæc omnia considerata aliam causam arguunt, eamq; talem, qvalis cachexiam producere potest, nec id immeritò, cum ille ipse morbus, cachecticis annumeretur & cachexiæ icteritiæ in super nomen obtineat.

Thes. V.

Partium latifundia dum subit sangvis, ac derivatos arteriarum tubulos alluit, sine interruptione humores, tum pro nutritione solidarum partium necessarios eructat, quorum reliqva copia vel chylo vel sanguini per vasa lymphatica readmiscetur, vel per glandulas miliares secernitur, tum idem sangvis, spiritus animales pro replendis ad actiones obeundas nervorum tubulis suppeditat, qvi dum indesinenter illos tendunt, & ad motus perficien-

 dos

dos influunt ac præsto sunt, copiosè ac turmatim abeunt in auras relinqventes partibus lassitudinem, de qvâ circa vesperam post exantlatos labores qvilibet conqveritur, nec sine dispendio sanitatis, nisi ei suppetiæ fierent cibo & potu, qvorum factus cremor, continuum succendiculum sangvinis est, & sic lassitudines abeunt ac homo reficitur, qui alias pessum eat oportet, nisi tot dispendia resarciantur. Qvandoq; tamen accidunt lassitudines, qvibus nec labor nec aliud qvid præcesserit; Has hippocrates Aphor. 5. sect. 2. morbosas judicat; *Spontaneæ* inqvit, *lassitudines morbum denunciant*, qvod si hæc ad icteri lassitudines corporis omniumqve membrorum applicabimus & eas morbum denunciare certissimum est. Lassitudo enim ea de qvâ continuò molestè conqveritur æger, spirituum defectum insignem dicit, qvorum defectu nec motus partium facilè cientur, quin potiùs non levi molestiâ fiat, unde continua de lassitudine totius corporis qverela est. Spiritus animales cum deficiant, quid aliud quàm natales minus spirituosos dicunt, è sangvine autem spiritibus animalibus natales sunt, undè sanguinem minus spirituosum eumqve viscidum indicat, hinc qvam diu viscidus est, nec reiterato, nec toties reiterato circulo spiritus tum copiâ tum subtilitate sufficientes suppeditare poterit, qvin præterea obstructiones in partibus solidis producat, id qvod lassitudini junctus gravativus lumborum dolor, simul apertè probat, cum is non nisi ab obstructionibus oriatur undè sangvinem esse viscidum indeqve obstructiones in solidis factas certissime concludo.

Thes. VI.

Præcordiorum anxietas, de quâ Ephemerides Germaniæ decuriæ. 1. an 4. p. 107. notant juncto cum difficili spiritu, æque ac lassitudo sanguinem viscidum & obstructiones in præcordiis dicit, dum & lympha irrigans vasa præcordiorum sua visciditate molestè afficiat, ac premat unde tum præcordiorum anxietates, tum difficilem respirationem oriri autumo, cum enim suspirioso halitu vix sæpiùs loqui qveant, gravari viscidis, ac obstructionibus inde affici præcordia, à sanguine viscido concludo.

Thes. VII.

Appetitus si non prostratus imminutus tamen & sitis clamosa sanguinem viscidum & obstructiones indicant, Ad vellicationem

nem ventriculi fermento factam ex lege conjunctionis ideam famis mens concipit, & ad ariditatem faucium, salivæ fontes non satis cum fauces irrigent, eâdem ex lege excitatur in mente sitis idea. Pro utrâque abigendâ occupata est mens hinc cibum & potum appetit ac medelam obtinet; hoc ordinariò procedit ac stata lege; vellicatione imminutâ aut plane remotâ appetitus perit & plane imminuitur & auctâ ariditate faucium sitis intensior fit. De utrâqve molestiâ conqveritur ictericus, hinc viscidum sanguinem & obstructiones factas reor, fermentum ventriculi enim cum sanguine è vitioso secernatur, nec efficax est nec excitari facile potest, quin potius si aliqvid ciborum assumatur, eo ulterius enervetur, ut taceam obstructiones simul fieri à viscidâ lymphâ qvæ glandularum ventriculi tortuosos minimos tubulos transire conatur. Obstructiones autem in partibus solidis factas sitis clamosa probabit, qvâ hydropicis non absimiles Icterici; magnas enim hæc arguit obstructiones simùl in aliis partibus factas, cum pori salivalium constantes maximè obstruantur, qvid nî in aliis fiet? Hæc sitis clamosa, ex defectu seri si fuerit, magna potius vel ▽æ vel vel alterius liqvoris copia eum resarciret, sed qvo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Ab obstructionibus salivæ fontium, oriri hinc sitim in Ictero à sanguine viscido seu humoribus viscidis firmissime reor.

Thes. VIII.

Cum de capitis dolore & somniis turbulentis conqueritur æger, apertè is confitetur sanguinem viscidum & obstructiones adesse; Viscidus enim ac pituitosus cruor, licet propter continuatas fermentationes ex arterjarum cerebri poris particulas eructet, crassiusculas tamen eructat qvæ stimulo subtilioribus scilicet destitutæ in cerebri tubulis ceu omnium tenerrimis hærent & caput dolens faciunt. His crassis per ventriculos cerebri oberrantibus particulis etiam tribuo, qvod somnia turbulenta Ictericis freqventia sint; cogitandum qvidem esset cum spirituum adsit defectus, id qvod vel ex lassitudine judicare licet, somnum eorum fore longiorem aut cum brevis, spirituosum adesse sanguinem, sed brevis iste somnus spirituum copiâ non producitur, cum aliàs nec adeó interruptum somnum nec ab externâ aliqvâ quasi vi concussum evigilantem ægrum notaremus; hinc crassas à sanguine crasso ac

ſo ac viſcido è poris plexus choroidei eructatas judicamus; quæ motæ cum diutius motum ſuum ſervent, in cerebri veſtigia impingunt ſat validè, illa aperiunt, unde mens ex lege conjunctionis ad horum conſiderationem rapitur ac rerum ideas percipit, inter qvas cum nullâ connexio, nullus ordo intercedat, turbulenta fiunt ſomnia, qvibus qvaſi inde concuſſus, æger evigilat & ſanguinem craſſum ac viſcidum & obſtructiones adeſſe indicat.

Th. IX.

Capillorum defluvium vel à mutatâ, vel ab impeditâ, vel planè vitiatâ nutritione oriri ſtatuo, vel enim cum per totum corpus factæ ſint obſtructiones fieri neqvit, qvin & glandulæ ſubcutaneæ, è quibus pili protruduntur, obſtruantur â viſcidâ lymphâ aliàs limpida cum glutinoſis pilos conſtituentibus particulis transfluente, unde nutritione deſtituti pili decidant neceſſe eſt; vel ſi deponantur ſufficientes pro nutritione particulæ, ſtagnent tamen & tranſire cum debeant, prius moram nectere cogantur, acredine ſuâ non nutritionem, ſed defluvium capillorum producunt, ſanguinem hinc craſſum & viſcidum & inde obſtructiones per corpus ægri judico.

Theſ. X.

Non rarò qvoq; morbo arqvato juncta eſt febris qvæ qvandoq; eum præcedit, poſterius ſi fiat, mirum non eſt, fieri inde obſtructiones cum fermento peregrino, dum ſanguini miſcetur, turbetur ſanguis, turbari neqvit, qvin hinc & inde impetuoſo ſuo motu in partibus ſolidis obſtructiones producat, unde factis obſtructionibus cachexia, quæ ſi flavedinem referat icteritia oritur. Qvod ſi autem prius contigerit, non minimus metus eſt, ne in ſolidis pertinaciores fiant, qvod omnium facillime evenit, cum ſanguis viſcidus jam obſtructiones produxerit, & adhuc fermento febrili turbetur unde obſtructiones pertinaciores & curationem difficiliorem fieri, è ſanguine viſcido & inſimul turbato, conſeqventia eſt.

Theſ. XI.

Specialiora morbi arqvati ſigna ſunt alvi fæces albidæ & duræ cum adſtrictione alvi, qvas à defectu bilis ad unum omnes deducunt Practici, dum ductus choledochus in inteſtino duodeno obſtructus, qvo minus ea effluere, ſtimulare ac flavis ſuis particulis, quæ ipſi admiſtæ, excrementa tingere queat. Junctam autem hæc excrementa

duri

duritiem habent; cum lubrica non satis intestina sint, â cujus deficientiâ & alvum adstrictam oriri puto, indeque obstructiones â sanguine viscido factas concludo.

Thes. XII.

Alvus tamen qvandoqve fluit eiqve juncta diarrhæa biliosa est, quæ quotidie quidem non contingunt, quod si autem contingant remante licet ictero, ab acido in intestinis hærente & vellicante oriri statuo, qvo & ductus choledochus qvandoque aperitur, undè bilis simul effluit, ac particulas suas tincturam habentes excrementis jungit, ut flava ejiciantur, elegantissimè ut id monet Franciscus De le boe Sylvius lib 1. prax. p. 304. §. 46. sed cum reliquæ in solidis restent obstructiones, icterus nihilominus remanet, & à sanguine viscido obstructiones factas indicat.

Thes. XIII.

Urinæ ex flavo & rubro ferè nigricantes, viscidæ & paucæ, sanguinem viscidum & obstructiones in renibus arguunt & magna particularum flavarum & salium copiâ refertas intensus colordicit; Abile autem Urinam tingi commune qvidem placitum fuit, sed si ab illius admistione flavesceret, amaricaret; cum bilis aquæ infusa vix ad ejus tincturam suâ amaritie se molestè prodat; nec admistione salium alcalicorum nec acidorū sapor amarus infringatur; quibus aliás colocynthidos amarities perit: sed nulla amarities nec in urina ictericorum percipitur secundum auctorum animadversiones, etiamsi intensissimè tingat lintea & inspissata adhûc & ad nigredinem diducta postea flavo colore tingat; Ut taceam bilem urinæ sanæ admistam minime tingere lintea, ut ictericorum tingunt, nec serum sanguini ictericorum innatans lintea croceo licet tingat colore amaricare vid. Eph. nat. curios. dec. 2 ann. 6. p 262. hinc flavedinem in ictero bili non tribuo, cum & sine flavo colore amaricantia ejiciantur, qvæ non nisi albicant vid: Senn. de dissens. & consens. Chymic. c.16. & crocea vomitu sæpius ejiciantur; qvæ sapore liquiritiam æmulo dulcia sunt, qvale qvid notat Snenert, tract: de Cons. ac dissen, chym, c. 16. p. 468. Nec obstat

flavè

flavedinem bilis urinæ flavum multis gradibus superare, firma quippè inde formari non potest conclusio hanc ab illa oriri, cum utriusque flavedo à tertiâ provenire qveat causâ, particulis in sanguine flavis & salibus, qvibus saturata urina sapore intensissimè salso se prodit, & ex flavo & rubro nigricat, quale quid multoties observatum legimus. Has in solidis obstructiones qvoqve indicat tota corporis cum flavedine cachecticâ dispositio, qvibus omnibus pensitatis sanguinem esse viscidum & obstructiones in toto corpore factas judicatur.

Thes. XIV.

Viscidus itaqve ac crassus cum sit latex, fieri neqvit, qvin actus in orbem, dum minutissimos vasorum in partibus solidis tubulos alluit, ob visciditatem qvâ totus scatet, per totum corpus deponendo viscidum, producat obstructiones, qvibus non tantum circulus impeditus sed & nutritio vitiata, ut chylosæ ac nutrientes particulæ propter in solidis obstructiones apponi non possint, sed æq; restagnent, unde cachecticum notamus corpus; Sed adhuc flavet, qvo icteritium vocatur, hinc aliud qvid adsit necesse est qvod corpori flavum inducat colorem, qvem flavis aut ut alii in nominatis in sanguine particulis tribuo. Cibus enim assumptus, cum in ventriculo concoctus, cremor fit, qvi ob lacteum ferè qvem refert colorem, chylus vocari solet, materia qvæ pro tot dispendiis resarciendis sanguini perductum thoracicum miscetur; misceri autem non potest, qvin ipse alium obtineat colorem, ipsamqve sanguinis purpuram reiteratis totidem fermentationibus induat, & ipse constituat purpureum laticem, qui nutrientes & alias eructat particulas cibo & potu ordinaria lege restituendas. Purpuram autem ex albedine coloribus maximè diversis simul & semel unâ vel alterâ fermentatione induere neqvit, qvin sensim ac sensim flavescendo purpuratus fiat; facta tamen unâ vel iteratâ fermentatione partes omnes dum in orbem agitur, alluit, inq; eas id qvod ob convenientiam pororum aliàs deponi solet, deponere conatur, sed factæ in ictero obstant in solidis partibus obstructiones, ut istæ flavæ particulæ sistantur, nec ulterius

con-

concoqui nec purpuram induere qveant, unde cutem colore flavo tingunt, hoc est icterum flavum constituunt; qvæ particulæ adustæ magis si fuerint, icterum nigrum, aut pro ad mistione aliorum vel obscurè viridescentem vel alterius coloris producunt arqvatum morbum. Nec oculorum albugo à flavedine immunis cum in omnibus partibus à sanguine viscido factæ obstructiones, hinc & observationes satis docent, & partes internas, intestina aliaqve flavo colore in ictero conspici, qvale quid Zacutus Lusitan. lib. 3. P. admirand. p. 156. refert. Oculorum autem humores flavis particulis cum referti sint, ictericus qvoq; omnia flava videt, radii luminis cum ita refringantur, per vitiatos oculorum humores, nec alio in loco transire nec aliter refringi qveant, hinc æger fallitur, & omnia flava conspicit, dum ab objectis hoc procedere autumat. Sed hisce fortè me humoribus admistam bilem penitus negare videor, qvam tamen non prorsus nego, cum ut alia taceam, sapor in ore excitatus qvandoq; amarus bilem humoribus admistam satis arguat. Fieri enim neqvit, qvin factis omnium partium per totum corpus obstructionibus excrementitia secerni solita diutius in sangvine maneant & pariter stagnent; hoc saltem volo, bilem non esse icteri causam, cum, alvus licet tinctis flavo colore excrementis aperta, aut diarrhæa biliosa juncta sit, nihilominus icterus observetur, id qvod auctores medici & inter illos Helmontius Tract. de spiritu vitæ p. 160. §. 12. & Sylvius libr. 1. Prax. p. 105. probant; Accedit qvod bilis egressu suo licet impedita sit ex obstructo ductu choledocho, non ut alii tn. putant, ascendere qveat ad hepar etiamsi omnis concipiatur vis, cum ut taceam, bilem inde novam subire debere mutationem, textura glandulosorum acinorum hepatis obstet, qva ut egressus ejus in vesicam felleam promovetur, sic regressus impeditur; hinc obstructiones causam proximam dico è viscido sangvinis productas qvibus particulæ flavæ hærentes icterum flavum producunt.

Thes. XV.

Omne itaqve id, qvod obstructiones in solidis producere potest, qvibus flavæ particulæ sistuntur, causa icteri est. Inter res autem

tem non naturales se primum offert nebulosus, frigidus & crassus aer, qvi sangvini communicatus intestino ejus motui nocet, sanguinem incrassat, ut sic viscidus obstructiones in partibus solidis faciat, probat hoc Paschalius l. 1. de curat. morb. c. 43. qvi refert, in Sardinia ex aëris corruptione autumno in icterum incidere indigenas ferè omnes; id qvod convenit cum observatione Hippocratis qvam libr. de humoribus. sect. 2. p. 18. suppeditat, icterum enim morbum autumnalem dicit, & ex rigore hyemis tempore observavit icterum idem sect. 5. p. 113. Nec excludendus æstivus aër, cum suo vehementi motu qvo sangvinem eodem modo afficit, reddere viscidum eum & obstructiones indeq; icterum inducere qveat, qvod citatus Paschalius citato loco & æstate fieri icterum testatur. Huc facit Hippocratis observatio qvi ex temulentiâ eundem notat, & sic cum aer facilè non nocet, cibus & potus ejus sæpius autores sunt. Si crassus, acidus & fæculentus, carnes sale & fumo induratæ, legumina, lentes & alii assumantur crassioris indolis cibi, si potus nimius isqve imprimis generosus fuerit, sanguis ab utroqve læditur, cibo crasso incrassatur & viscidus fit, & potu generoso in impetum rapitur, qvibus spiritibus orbatur, crassæ in partes solidas adiguntur particulæ, vappa relinquitur, unde obstructiones in solidis fieri certissimum. Hinc manducatione staphidis agriæ icterum oriundum legimus in observationibus Lossii p. 259. Hinc spir. Vini abusu sæpius icterum notamus qvem & Sylvius lib. 1. prax. p. 302. testatur cum in seqvente ascite ut plurimum lethali; Hinc & spir. Vini potatores freqventissimè cachexiâ nostri loco corripiuntur, cui si jungatur cutis superficies flava icteritia evadit; â medicamento sudorifero in colica assumpto notat eum Bartholinus cent. 5 historiarum 62. Huc facit icterus â partu laborioso productus, qvem testantur Practici. Motus & qvies, vigiliæ & somnus si modum excesserint, icteri causa esse possunt, motus enim & vigiliæ, ut sine spirituum animalium præsentiâ fieri neqveunt, sic excedentes modum inferunt eorum dispendium, unde sensim sangvis vappa fit, fit viscidus & crassus, fiunt obstructiones.

nes, ut flavæ fiſtantur, fit icterus. Somnus nimius ac qvies nimia ſangvinis & humorum motui cum nullum addant calcar nullum ſtimulum, hinc nec ſangvis, nec humores, ut par eſt & reqviritur, attenuabuntur, incidentur, unde cruor fit craſſus, fit viſcidus. Si excernenda non excernantur ſed remaneant, ſanguinem inde viſcidum fieri indeque obſtructiones oriri certum eſt, ſic ex ſuppreſſione menſium notat icterū Bartholinus cent. 5. hiſt. 62, & obſervant Schenck. l.3. obſervat. de ictero & Ephem. Germ. Dec. 3. an. 1. p. 136. Huc qvoq; facit colicis doloribus qvandoq; ſuperveniens icterus qvem Excell. D. Præſes in viro qvadragenario obſervavit. Animæ deniqve paſſiones vehementiſſimè afficiunt corpus & conſervantur per motum ſpirituum, qvæ ſi diu duraverint nec eorum fiat temperantia, ſpiritus conſumuntur & craſſus ac viſcidus relinqvitur ſanguis, unde obſtructiones ut flavæ ſiſtantur, unde icterus. Et ſic ex ira ortum legimus icterum in Riverii obſervationum Cent. 2. Obſ. 9. Et Helmontius tract. de morbi ſede in anima ſenſitiva p. 451. § 12. circa finem ex mœrore nimio icterum natum notat.

Theſ. XVI.

Ad cauſas icteri producentes & præter naturalia pertinent, cum illa corpus & humores afficiant. Malo Hypochondriaco Scorbuto, Hydropi ſæpius icterum ſuperveniſſe praxis docet; Nec aliud arguunt, qvam ſangvinem viſcidum & craſſum qvo obſtructiones producantur, flavæ particulæ ſiſtantur & icterus fiat, qvem etiam agnoſcit qvartana, cum & ipſi aliqvando icterum junctum notavit Excell. D. Præſes; niſi hoc adhuc accedat, febres in ſimul turbaſſe ſangvinem, qvo turbato pertinaciores factæ ſunt obſtructiones. Huc referendas cenſeo obſervationes ictericorum qvæ tum à venenis aſſumptis leguntur qvalem ſuppeditat Abynzoar. libr. 1. prax. tract. 13. c. 6. & Paulus confirmat. l.3.c. 50. *jam verò* inqvit *noxii medicamenti potus, tum virus extrinſecus à venenato animali illatum morbum regium parit.* Et qvæ tum à venenis morſu inflictis conſtant. Sic à morſu canis rabidi icterum notavit Bartholinus Cent. 2. Obſerv. p. 322. & Eph. Germ.

Nat. Curiof. Dec. 2. ann. 9. p. 351. ex morfu Sciuri in virguncula icterum referunt, à viperæ morfu eum notat Marcel. Donat. in hift. Med. mirab p. 72. & poft arenearum morfum icterum natum refert Joel. in f. pr. lib. de venenis. Huc referendus & icterus qvi vel ex ulceribus qvibusdam crurum occlufis oritur, ut refert Amatus Lufitanus Cent. 2. curat. 83. Vel ex vulnerato capite notante talem icterum Hochftetero decad. 8. p. 198. vel à vulnere fclopeti ventriculum perforantis qvem notat Bartholin. cent. 6. hift. 58. qvibus omnibus mixturam turbatam judico, qvâ craffiores à fubtilioribus expulfæ particulæ obftructiones faciunt ut particulæ flavæ fiftantur, unde icterum à variis præternaturalibus ortum legimus.

Thef. XVII.

Ad prognofin progredior, qvam ex circumftantiis formandam judico. Icterus eft morbus chronicus qvi dicit obftructiones & hinc eò longior, qvò fangvis vifcidior & pertinaciores obftructiones. Acutus tamen fieri qvoqve poteft, teftimonio noftri Hippocratis lib. 3. de morb. c. 12. & aphorif. 62. fect. 4. qvatenus febris præcefferit, cum febre obftructiones pertinaciores & fangvis vifcidior fiat, & rectè judicatur, ubi febris & icterus ibi difficilior cura, qvæ fimul, fi à venenis inducantur; Et qvo fymptomata graviora, fi appetitus proftratus, vigiliæ, febris continua adfuerint tunc periculofior fit, & augetur periculum, fi fingultus fupervenerit, qvi convulfiones imminere arguit; qvibus affecti icterici facile moriuntur. Ictero cachectiçus cum morbus fit, facilè fupervenit vel hydrops vel tabes, fic morbo cum gravior fupervenerit, mors facilè feqvitur. In fenibus difficillimè imò nunqvàm curatur, cum debiliores fermentationes & minor fpirituum copia fint, obftructiones etiam ob conftantiores poros pertinaciores fiant, qvibus non folutis nec cura fperanda. Inter varias autem icteri fpecies flavus facilior curatu habetur qvam niger, cum niger pertinaciores adhuc obftructiones dicat, fed curatu facilior eft icterus, qui nondum inveteratus fed recens eft.

Thef. XVIII.

Thes. XVIII.

A sangvine viscido & obstructionibus oriundus icterus medicamentis curandus, ut id qvod viscidum incidatur, attenuetur, & obstructiones de obstruantur & reserentur. Qvæ cum minorem sanguinis copiam multò facilius regere qveant, & imminutâ copiâ is sæpius ad cor redeat, curam venæ sectione exordiendam censeo, eamqve pro ratione circumstantiarum reiterandam, ut paulatim melior substituatur; Circa Venæ delectum valdè sollicitus non essem, pedis tamen illam potius eligerem, rationi enim non dissonum est, sangvinem in inferioribus partium truncis reliqvo crassiorem esse; vulnusculum ipsum autem venæ fit pauló latius seu satis amplum, ut viscidus sangvis effluere qveat.

Thes. XIX.

Sangvine sic imminuto reliqvus corrigatur incidentibus & attenuantibus, obstructiones reserentur & viscera à terrestri fæculentiâ mundentur, pro hoc scopo obtinendo præscriberem medicamentum qvod in copiâ assumi possit, ut sanguinem diluat; particulis medicamentosis totum impregnet, cum eo fermentationes subeundo eum alteret, & ad omnes partes delatum obstructiones omni tempore deobstruat. Hoc erit apozema, particulis ligneis, rigidis & solidis impregnatum, ex ligno Gvaj. ejus cocticibus, è rad. Chin. rad. sarzaparill Cappar. Apii. Brion. alb. cort. tamarisc. & aliis. Herbæ in gredientes esse qveunt Chelidon. maj. Tarax. salv. Rosm. agrimon. absinth. &c. Flores sint. cent. min. aqvileg. hyperic. & similes, semina sint sem. Dauci, aqvileg. & carv; qvibus nec ineptè Antimon. crud. addi posse autumo, omissis tamen acidis, qvæ in diplomate coqvantur in ▽a chalybeata additis aliis syrupis convenientibus. Et hujus vel similis apozematis haustus insignis cum corpus adhuc inter stragula calet, assumatur calidè ac bene tegatur corpus, qvi haustus horis pomeridianis & circa vesperam repeti potest, corpusqve moveri, qvo juvari qveat decocti in membra distributio. Aliqvot dierum decursu post usum apozematis exhibeatur præparatis humoribus lene purgans ex

mercur-

Mercur, dulc. additis extr. Cathol. vel Panchimag. Croll. cum Ref. Gialapp. vel Scamm. qvale purgans nec in eptè statim initio ut primæ viæ abstergantur, exhiberi potest. Laudari hinc qvoqve solent Aloëtica, Rhabarbarina & alia qvæ alvum stimulant Expurgato sic corpore, fiat reditus ad apozema per aliqvot dierum decursum, qvod iterum excipiat purgatio cum observata hac periodo, donec judicaveris corpus ita dispositum ut obstructiones sudoriferis & diureticis reserari qveant. Inter usum a. apozematis non negligenda digestiva sed optimo consilio admiscenda, illaqve sint tum salia duplicata ut Tartarus Vitriol. Arcan. dupl. Terr. fol. Tartar. aut ejus liqvor tum alcalia fixa, tum volatilia, sal votat. C. C. vel Viperar. huc facit & crocus aut ejus parata tinctura, tum acidiuscula ut tinctura flor. Bell. clysso Antimonii parata, aut flor. aqvileg. tinctura cum eodem menstruo, semper respiciendo qvalis humor aliis admixtus sit; tum Martialia, qvæ omni in ictero felicissimè exhibentur, imprimis cruda non verò qvæ in acidis soluta, fortissimè n. agunt cruda in M. S. & aperiendo educunt, hinc limatura Chalyb. crud. alcoh. qvotidiani sit usus vel solitariè, vel addi possunt paululum aromata ac bis in die usurpari conducibile est, hinc pulv. cachect. Hartm. non minimi successus in ictero est. Efficaciã a. limaturæ chalyb crudæ in ictero aliqvando observatam non satis laudare potest Excell. D Præses. Qvod si a. aliâ sub formâ chalybeata desideret æger substitui possunt non sine successu Tinctura martis antimoniata, aut crocus martis aperitivus imprimis sale ammoniaco paratus, aut flores salis armonici martiales, aut Antim. diaph martiale, & alia ex marte parata. Facit huc & aurum fulminans, qvod ob sal duplicatum, qvo constat, non sine successu præscribitur, qvibus & absorbentia, pro rei exigentiâ admisceri, vel solitariè exhiberi consultò qveunt, cum qvandoq; & acidum adsit,

Thes. XX.

Corpore satis diu præparato tandem ad diuretica & diaphoretica devenirem, qvibus solidarum partium obstructiones efficacissime reserari qveunt, imprimis diaphoreticis ex mineralib9 & salibus, ut & ex Antimonio diaph. Bez. min. & aliis & salibus

fixis